A 2 12 37

Peri herme-NIAS ARISTOTE-lis Libri duo.

.·.

PARISIIS,

Apud Guilielmum Le Bret, In clauſo Brunello, Sub ſigno cornu Cerui.

1 5 3 8.

¶LIBER PRIMVS PERI hermenias Ariſtotelis.

¶De ſignis. Cap. I.

PRIMVM OPORTET conſtituere quid ſit nomen, & quid verbũ, poſtea quid eſt negatio & affirmatio, & enũciatio & oratio. ¶Sũt ergo ea quæ ſunt in voce earum quæ ſunt in anima paſsionũ notæ, & ea quę ſcribuntur, eorũ quę ſunt in voce. ¶Et quemadmodum nec literę omnibus eędem, ſic nec eædem voces. Quarũ autem hæ primum notæ ſunt, eædem omnibus paſsiones animæ ſunt, & quarum hæ ſimilitudines, res etiam eædem. De his vero dictum eſt in iis qui ſunt de anima. alterius enim eſt negotij. ¶Eſt autem quemadmodũ in anima aliquãdo quidẽ intellect⁹ ſine vero vel falſo, aliquando autem cui iam neceſſe eſt horum alterum ineſſe, ſic etiam in voce. Circa compoſitionem enim & diuiſionem, eſt verum & falſum.

Poſi. 1

Poſi. 2

Poſi. 3

¶Nomina igitur ipſa & verba conſimilia ſunt, ei (qui ſine compoſitionẽ & diuiſione eſt) intellectui. vt homo vel album, quando nõ aliquid additur. neque enim falſum. neq; verũ adhuc eſt. ſignũ autẽ huius eſt. hircoceruus enim aliquid ſignificat, ſed nõdum verum aliquid, vel falſum ſi nõ vel eſſe vel nõ

esse addatur. vel simpliciter, vel secũdum tempus.

Diffinitio nominis.

De nomine. Cap. II.

Nomen igitur est vox significatiua secũdũ placitum sine tempore: cuius nulla pars significatiua est separata. ¶In nomine enim quod est equiferus, ferus nihil per se significat, quemadmodũ in oratione quæ est equus ferus. At vero non quemadmodum simplicibus nominibus, sic se habet in compositis. In illis enim nullo modo pars significatiua est, in his autem vult quidem, sed nullius est, separata. vt in eo quod est equiferus hoc quod est ferus. Secundum placitum vero, quoniam natura, nominum nullum est, sed quando fit nota. quoniam designant & illiterati soni, vt ferarum, quorum nihil nomen est.

Declaratio diffinitionis nominis

¶Non homo vero non est nomen. at vero nec positum nomen est, quo illud oportet appellare. neq; enim oratio, neq; negatio est, sed fit nomen infinitum. quoniã similiter in quolibet est & quod est & quod non est. ¶Catonis autem & Catoni & quæcũque talia sunt, non sunt nomina, sed casus nominis ratio autem eius est, alia tamen sunt secundum seipsa: quoniam cum est, vel fuit, vel erit neque verum, neque falsum est, nomen vero semper. vt Catonis est, vel non est. nondum enim aliquis neque verum dicit, neque falsum.

Quid verbum

¶De verbo Cap. III.

Verbum autem est quod significat tempus cuius nulla pars significat extra, & est semper eorum quæ de altero predicãtur nota.

¶Dico autem quoniam consignificat tẽpus, vt sanitas quidẽ nomẽ est; sanatur vero verbũ.cõsignificat enim nũc esse, & semper eorũ q̃ de altero dicuntur nota est, vt eorũ quæ de subiecto vel in subiecto sunt. ¶Non sanatur vero non ægrotat, non verbũ dico. Consignificat enim tempus & semper de aliquo est. Differentiæ autem huic, nomen positũ non est, sed infinitum verbum sit: quoniam similiter in quolibet est, & quod est, & quod non est.

¶Similiter autem & sanabitur & sanabatur nõ verbum est, sed casus verbi. Differunt autem à verbo, quod hoc quidem presens consignificat tempus, illa vero id quod circumcirca est. ¶Ipsa igitur secundum se dicta verba, nomina sunt, & significat aliquid: cõstituit enim qui dicit intellectũ, & qui audit quiescit. sed si est vel non est, nondũ significat, neq; enim signum est rei esse vel non esse, nec si hoc ipsum est purum dixeris. ipsum enim nihil est, consignificat autem compositionem quandam, quam sine compositis non est intelligere,

¶De oratione. Cap. IIII.

Oratio autẽ est vox significatiua, cuius partium aliquid significatiuum est separatum vt dictio sed nõ vt affirmatio vel negatio.

¶Dico autem, vt homo aliquid significat, sed non quoniam est aut non est. sed erit affirmatio vel negatio, si qd addatur. Sed non hominis syllaba vna, neque enim in eo quod est sorex, rex significat, sed vox nunc est solum. In duplicibus vero significat quidem aliquid, sed nõ secundum se, quemadmo-

dum dictum eſt. Eſt autem oratio omnis quidem ſi gnificatiua,non ſicut inſtrumentum , ſed quemadmodum dictum eſt ſecundum placitum.

¶Enunciatiua vero nõ omnis, ſed in qua verũ vel falſum eſt non autem in omnibus ineſt. vt depreca tio oratio quidem eſt,ſed neque vera,neq; falſa. Cęteræ igitur relinquantur, rhetoricæ enim vel poeti cæ conuenientior eſt conſideratio. enunciatiua vero præſentis eſt ſpeculationis. ¶Eſt autem vna pri ma oratio enunciatiua aſſirmatio , deinde negatio, aliæ vero omnes coniunctione vnæ . ¶Neceſſe eſt autem omnem enunciatiuam orationem , ex verbo eſſe,vel ex caſu verbi.Etenim hominis ratio(ſi non addatur,aut eſt,aut fuit,aut erit, aut aliquid huiuſmodi)nondum oratio enunciatiua eſt. Quare autẽ vnum quiddam eſt, & non multa animal greſsibile bipes(non enim eo, ꝙ propinquæ partes dicuntur vna erit) eſt certe alterius hoc tractare negocij.

Cóclu.

¶Eſt autem vna oratio enunciatiua, quę vnũ ſigni ficat,vel coniũctione vna.¶Plures autem: quę plu ra,& non vnum,vel inconiunctæ.

¶Nomen igitur & verbum, dictio ſit ſolum. quoniam non eſt dicere ſic aliquid ſignificantem ; voce enunciare,vel aliquo interrogante vel non, verum ipſo proferente.Horum autem hæc quidẽ ſimplex eſt enunciatio. ¶Vt aliquid de aliquo, vel aliquid ab aliquo.hæc autẽ ex his cõiuncta velut oratio quę dam iam compoſita.

¶Eſt autem ſimplex enunciatio : vox ſignificatiua de eo quod eſt aliquid, vel non eſt quemadmodum tempora diuiſa ſunt.

¶Affirmatio vero est enũciatio alicuius de aliquo.
¶Negatio vero enunciatio alicuius ab aliquo
¶Quoniam autem enunciare est, & quod est, non esse. & quod non est, esse. & quod est, esse. & quod non est, non esse. & circa ea quæ extra pręsens tempus sunt. similiter, omne vtique cõtingit quod quis affirmauerit, negare: & quod quis negauerit, affirmare. Quare manifestum est quoniam omni affirmationi, opposita est negatio: & omni negationi, affirmatio. ¶Et sit hoc contradictio, affirmatio & negatio opposite. Dico autem opponi eiusdem de eodem. non autem æquiuocè: & quæcunquæ cætera taliũ contra sophisticas determinauimus importunitates.

¶De subiectis & prædicatis enunciationum. Cap. V.

Quoniam autem sunt hæc quidem rerum vniuersalia, illa vero singularia. ¶Dico autem vniuersale quod in pluribus prædicari natum est, Singulare vero quod non. vt homo quidem vniuersale est. Callias vero eorum quæ sunt singularia. necesse est autem enunciare cum inest aliquid aut non: aliquando quidem alicui eorum quę vniuersalia sunt, aliquando autem quę singularia sunt. ¶Si ergo in vniuersali vniuersaliter enunciet quis quoniam est aut non est, contrarię enunciationes erunt. Dico autem in vniuersali enunciare vniuersaliter. vt omnis homo albus est, nullus homo albus est. Quando autem in vniuersali

Diuisio.

bus non vniuersaliter, non sunt contrariæ. quæ autem significantur, est esse aliquando contraria. Dico autem non vniuersaliter enunciare in ijs quæ vniuersalia sunt, vt est albus homo, non est albus homo. cum enim vniuersale sit homo, non vniuersaliter vtitur enunciacione. omnis nanque, non vniuersale significat, sed quoniam vniuersaliter.

Regula vniuersalis.

¶ In eo vero quod vniuersale prædicatur, id quod est vniuersaliter prædicari non est verum. Nulla enim affirmatio vera erit, in qua cum vniuersale sit prædicatum, vniuersaliter prædicatur. vt est omnis homo omne animal. ¶ Opponi autem affirmationem negationi dico contradictorie, quæ vniuersaliter significat eidem quoniam non vniuersaliter. vt omnis homo albus est, non omnis homo albus est nullus homo albus est. aliquis homo albus est. Contrarie vero vniuersalem affirmationem & vniuersalem negationem. vt omnis homo iustus est, nullus homo iustus est.

¶ De regulis oppositorum. Cap. VI.

Quocirca has quidẽ impossibile est simul esse veras. ¶ His vero oppositas, contingit aliquando in eodem simul esse veras. vt non omnis homo albus est, & aliquis homo albus est. ¶ Quæcunque igitur contradictiones vniuersalium sunt vniuersaliter necesse est alteram esse veram vel falsam, & quæcunque in singularibus sunt. vt est Socrates albus. non est Socrates albus. ¶ Quæcunque autem in vniuersalibus nõ vniuersaliter, non semper hæc quidem vera est, illa vero

falſa eſt. Simul enim verum eſt dicere quoniam eſt homo albus, & quoniam non eſt homo albus. & eſt homo pulcher, & nõ eſt homo pulcher. ſi enim turpis eſt, non eſt pulcher. & ſi fit aliquid, nõ eſt. Videbitur autem ſubito inconueniens eſſe. icirco quoniam videtur ſignificare hæc non eſt homo albus ſimul & hæc nullus homo eſt albus. ❡Hæc autem neque idem ſignificat, neq; ſimul neceſſario. ❡Manifeſtum eſt autem quoniam vna negatio vnius affirmationis eſt. hoc enim idem oportet negare negationem, quod affirmatio affirmauit, & de eodem vel de aliquo ſingularium, vel de aliquo vniuerſalium vt vniuerſaliter, vel vt non vniuerſaliter. dico autem vt eſt Socrates albus, non eſt Socrates albus ſi autem aliud aliquid de eodem vel de alio idem, non eſt oppoſita, ſed erit ab ea diuerſa. huic vero quæ eſt omnis homo albus eſt, contradictio eſt, illa quæ eſt non omnis homo albus eſt. illi vero quæ eſt aliquis homo albus eſt, illa quæ eſt nullus homo albus eſt. illi autem quæ eſt. eſt homo albus: illa quæ eſt, non eſt homo albus. ❡Quoniam igitur vna affirmatio vni negationi opponitur contradictorie: & quæ ſunt hæ dictum eſt. & quoniam cõtrariæ aliæ, & quæ ſunt illæ dictum eſt. & quoniam non omnis vera vel falſa contradictio, & quare, & quando vera vel falſa.

Epilog⁹

❡De affirmatione & negatione vna. Cap. VII.

VNa autem affirmatio & negatio est, quæ vnum de vno significat, vel cum sit vniuersale vniuersaliter, vel non similiter: vt omnis homo albus est: non omnis homo albus est. est homo albus, non est homo albus. nullus homo albus est, aliquis homo albus est, si album vnum significat. sin vero duobus vnum nomen positum est ex quibus non est vnum: non est vna affirmatio, neque vna negatio vt si quis ponat hoc nomen tunica homini & equo: quod tunica alba est, hæc non est vna affirmatio, nec vna negatio. Nihil enim differt hoc quam dicere quoniam est homo equus, albus. hoc autem nihil differt quam dicere, est homo alb⁹ & est equus alb⁹. Si ergo hæ multa significāt & sunt plures: manifestum est quoniam & prima vel multa vel nihil significat: neque enim est aliquis, homo equus. ¶ Quare nec in his necesse est hanc contradictionem veram, illam vero falsam esse.

Correlarium.

¶ De futuris contingentibus. Cap. VIII.

Regu. 1

IN iis ergo quę sunt, & quę facta sunt, necesse est affirmationem vel negationem verā esse vel falsam. In vniuersalibus quidem vniuersaliter, semper hanc quidem veram: illam vero falsam esse, & in his quæ singularia sunt (quemadmodum dictum ęst) in iis vero quæ in vniuersalibus non vniuersaliter dicuntur, non necesse est. dictum est autem & de his. ¶ In singularibus vero & futuris nō similiter. Nam si omnis affirmatio & ne-

Regu. 2

gatio vera vel falsa est, & omne necesse est esse, vel nõ esse: quare si hic dicat futurum esse aliquid, esse vero non futurum dicat hoc ipsum: manifestum est quoniã necesse est verũ dicere alterum ipsorum, si omnis affirmatio vel negatio vera vel falsa est, vtraque enim non erunt simul in talibus. Nam si verum est dicere quoniam album vel non album: necesse est esse album vel non album. Et si est album vel non album: verum erat affirmare vel negare. Et si non est, falsum dicit: & si falsum dicit, non est. quare necesse est aut affirmationem aut negationem veram esse vel falsam. Nihil igitur neque est, neque fit, nec à fortuna, nec vtrumlibet, neq; erit, neque non erit: sed ex necessitate omnia, & non vtrumlibet. Aut enim qui dicit verus est: aut qui negat. Similiter enim vel fieret, vel non fieret. vtrumlibet enim nihil magis sic vel non sic se habet, vel habebit. Amplius autem, si est album nunc: verum erat dicere prius, quoniam erit album. Quare semper fuit verum dicere quodlibet eorum quæ facta sunt, quoniam est, vel erit. Si autem semper verum fuit dicere, quoniam est, vel erit: non potest hoc non esse, vel non futurum esse. Quod autem non potest non fieri: impossibile est non fieri. Et quod impossibile est non fieri: necesse est fieri. Omnia igitur quæ futura sunt: necesse est fieri. Nihil igitur vtrumlibet neque à fortuna erit, nam si à fortuna non ex necessitate. ¶ At vero nec quoniam neutrum verũ est: dicere contingit. vt quoniã neque erit, neque non erit. Primum enim cum sit

gatio, affirmatio falsa: negatio non vera erit. Et cũ hæc falsa sit contingit affirmationem non veram esse. Ad hæc si verum sit dicere quoniam albũ est & magnum: oportet esse vtrumque. Si vero erit cras: oportet fore cras. Si autem neque erit neque nõ erit cras: non erit vtrumlibet. vt est nauale bellum. oporteret enim neque fieri nauale bellũ: neque nõ fieri. Quæ ergo contingunt in conuenientia hæc sunt, & huiusmodi alia: si omnis affirmationis & negationis, vel in iis, quæ in vniuersalibus dicuntur, vt vniuersaliter, vel in iis, quæ sunt singularia necesse est oppositarum hanc quidem veram esse, illam vero falsam. Nihil autem vtrumlibet esse in iis, quę fiunt sed omnia esse & fieri ex necessitate. Quare neque cõsultare oportebit, neque negotiari: quoniã si hoc quidem facimus, erit hoc, si vero non hoc, non erit hoc. Nihil enim prohibet, & in annũ decies millesimum, hunc quidem dicere hoc futurum esse, illũ vero non dicere. Quare ex necessitate erit, quodlibet eorum verum erat dicere tunc. At vero nec hoc differt si aliqui dixerint contradictionem vel non dixerint. Manifestum enim quod sic se habent res etiam si non hic quidem affirmauerit quid, ille vero negauerit. Non enim propter negare vel affirmare erit: vel non erit, nec in decies millesimum annum, magis quàm in quantolibet tempore. Quare si in omni tempore sic se habebat, vt alterum vere diceretur: necesse erat hoc fieri. Et vnum quodque eorũ quæ fiunt, sic se habebant: vt ex necessitate fieret. Si enim vere dixit quis quoniam erit, non potest non fieri. Et quod factum est, verũ erat dicere sem-

per, quoniam erit. Siquidem hæc impoſsibilia ſunt. videmus enim eſſe futurorum principium. & ab eo quod conſultamus: atque aliquid agimus & quoniã eſt omnino in iis, quæ non ſemper actu ſunt, eſſe poſsibile, & non eſſe ſimiliter, in quibus vtrunque contingit & eſſe & non eſſe. Quare & fieri, & non fieri: & multa nobis manifeſta ſunt ſic ſe habentia: vt quoniam hanc veſtem poſsibile eſt incidi, & nõ incidetur, ſed prius exteretur. Similiter autẽ & non incidi poſsibile eſt: non enim eſſet eam prius exteri niſi poſsibile eſſet non incidi: quare quòd in aliis generationibus, quæ ſecundum huiuſmodi potentiã dicuntur. manifeſtum igitur eſt: quoniam non omnia ex neceſsitate vel ſunt, vel fiunt.

¶ Sed alia quidem vtrumlibet, & nihil magis vel affirmatio, vel negatio vera. Alia vero magis quidẽ in pluribus alterum, ſed contingit fieri & alterum, alterum vero minime. ¶ Igitur eſſe quod eſt, quando eſt, & non eſſe quod non eſt, quando non eſt, neceſſe eſt: ſed non omne quod eſt: neceſſe eſt eſſe, nec quod non eſt neceſſe eſt non eſſe. Non enim idem eſt, omne quod eſt, neceſſario eſſe, quãdo eſt, & ſimpliciter ex neceſsitate eſſe. Similiter autem & in eo quod non eſt. ¶ Et in contradictione eadem ratio eſt. Eſſe quidem vel non eſſe omne neceſſe eſt: & futurum eſſe vel non. non tamen diuidentem, dicere alterum neceſſarium. dico autem vt neceſſe eſt futurum eſſe bellum nauale cras, vel non futurum eſſe. Sed non futurum eſſe cras bellũ nauale, neceſſe eſt: vel non futurum eſſe, futurum autem eſſe vel non eſſe, neceſſe eſt. ¶ Quare cum ſimiliter orationes

veræ ſint, quemadmodũ & res: manifeſtum eſt quo niam quæcunque ſic ſe habent vt vtrumlibet ſint, & contraria contingant, neceſſe eſt ſimiliter ſe habere & contradictionẽ. quod contingit in ijs, quæ non ſemper ſunt, vel non ſemper non ſunt. Horũ enim neceſſe eſt alteram partem contradictionis veram eſſe vel falſam, non tamen hanc vel illam, ſed vtrumlibet. & magis quidem veram alteram, non tamen iam veram vel falſam. Quare manifeſtum eſt quoniã non eſt neceſſe omnis affirmationis vel negationis oppoſitarũ, hanc quidem veram, illã autẽ falſam eſſe, non enim quemadmodũ in iis quæ ſunt ſic ſe habent & in iis quæ non ſunt quidem, poſsibilibus tamen eſſe vel non eſſe, vel quemadmodũ dictum eſt.

PRIMI LIBRI PERI HERmenias Ariſtotelis finis.

LIBER SECVNDVS PERI hermenias Aristotelis.

De enunciationibus infinitis. Cap. I.

QVONIAM autem est aliquid de aliquo affirmatio significãs hoc autem vel nomen est vel innominatum, vnum autem oportet eẽ & de vno id quod est in affirmatione (nomẽ autem dictum est & innominatum prius, nõ homo enim nomen quidem non dico: sed nomen infinitum vnum enim significat aliquo modo infinitum nomẽ. quẽadmodum & non sanatur non verbum: sed infinitum verbum) erit omnis affirmatio & negatio: vel ex nomine & verbo, vel ex infinito nomine & verbo. Præter verbum autem nulla affirmatio vel negatio est. Est enim vel fuit, vel erit, vel fit, vel quæcunque alia huiusmodi verba: ex ijs sunt quæ posita sunt, consignificant enim tempus.

Conclusio

Quare prima est affirmatio & negatio, est homo, nõ est homo: deinde est non homo. non est non homo. Rursus est omnis homo. non est omnis hõ. est omnis non hõ. nõ est omnis nõ hõ. Et in iis (quę extrinsec⁹ sunt) temporibus eadem ratio est.

Regu. 1.

Quando autem est tertiũ adiacens, prędicatur: dupliciter dicuntur oppositiones (Dico autem: vt est iustus homo, & tertium: dico adiacere nomen:

Regul. 2

vel verbũ in affirmatione) Quare ob id ipsum quatuor erunt illę, quarum duæ quidem ad affirmationẽ & negationem se habebunt secundum consequentiam vt priuationes, duæ vero minime. Dico autem autem quoniam est aut iusto adiacebit, aut iniusto: quare etiam negatio, quatuor igitur erunt. Intelligimus vero quod dicitur ex iis, quæ subscripta sunt

Simplices.

A. antecedens. C. consequens.

A Homo iustus est — C Homo iustus non est

Priuatoriæ.

C Homo iniustus non est — A Homo iniustus est

Infinitæ.

C Homo nõ iustus non est, A Homo nõ iustus est

Vniuersales & particulares affirmationes & neg.

Simplices.

A Omnis homo est iustus C Non oĩs hõ est iustus

Infinitę.

C Non oĩs hõ est nõ iustus A Oĩs hõ est nõ iustus.

Est iustus homo: huius negatio est, non est iustus homo. Est non iustus homo: huius negatio est, non est non iustus homo. est enim hoc in loco & non est: iusto & non iusto adiacet. Hæc igitur quemadmodum in resolutiuis dictum est: sic sunt disposita. Similiter autem se habebunt etsi vniuersalis nominis sit affirmatio: vt omnis est homo iustus, negatio, non omnis est homo iustus. omnis est homo non iustus. non omnis est homo non iustus. Sed non similiter angulares veras esse contingit. Contingit autem aliquando. hæc igitur duæ oppositæ sunt. ¶ Aliæ autem duæ ad non homo, quasi sub

Regu. 3

iectum aliquod additum. vt eſt iuſtus non homo, non eſt iuſtus non homo. eſt non iuſtus non homo, non eſt non iuſtus non homo. plures autem his non erunt oppoſitiones. Hæ autem extra illas ipſę ſecundum ſe erũt, vt nomine vtẽtes eo quod eſt non homo. ¶ In quibus vero eſt non conuenit vt in eo quod eſt ſanum eſſe, & ambulare: in iis idem facit ſic poſitũ, ac ſi eſt adderetur. vt eſt: ſanus eſt omnis homo, nõ ſanus eſt omnis homo, ſanus eſt omnis non homo, non ſanus eſt omnis non homo. non enim dicendum eſt, non omnis homo, ſed non negationem ad id quod eſt homo addendum eſt. omnis enim non vniuerſale ſignificat, ſed quoniam vniuerſaliter. Manifeſtum eſt autem ex eo quod eſt ſanatur homo, non ſanatur homo. ſanatur non homo, non ſanatur nõ homo. hæc enim ab illis differũt, eo ꝙ vniuerſaliter non ſunt. quare omnis vel nullus nihil aliud conſignificat quam vniuerſaliter de nomine vel affirmationem vel negationem. ergo & reliqua eadẽ oportet apponi.

Regula 4

¶ Quoniam vero contraria eſt negatio, ei quę eſt omne eſt animal iuſtum, illa quæ ſignificat quoniam nullum eſt animal iuſtum, hę quidem manifeſtum eſt quoniam nunquam erunt neque verę ſimul, neque in eodem. his vero oppoſitę erunt aliquando. vt non omne animal iuſtum eſt, & eſt aliquod animal iuſtum. ſequuntur vero & hæ, eam quidem quæ eſt, omnis eſt homo non iuſtus, hæc nullus homo eſt iuſtus, illam vero quæ eſt, aliquis eſt homo iuſtus, oppoſita, quoniam nõ omnis ho

Regula 5

mo est non iustus, necesse est enim aliquem esse.

Regula 6

¶ Manifestum est autē etiam quoniam in singularibus si verum est interrogatum negare, quoniā & affirmare verum est. vt putas ne Socrates sapiens est? non. Socrates igitur est non sapiens. In vniuersalibus vero non est vera quæ similiter dicitur, vera autem negatio est. vt putasne omnis homo sapiens est? non. omnis igitur homo non sapiens est. hoc est enim falsum est, sed non igitur omnis homo sapiens est, verum est. hęc enim opposita est. illa vero contraria.

Dubiū

¶ Ille vero secundum infinita cōtra iacentes nomina & verba (vt in eo quod est nō homo, vel non iustus) quasi negationes sine nomine & verbo esse videbuntur, sed non sunt. Semper enim vel veram vel falsam esse necesse est negationem, qui vero non homo dixit, nihil magis quam qui dicit homo, sed etiam minus: verus vel falsus fuit, si non aliquid addatur.

Regula 7

¶ Significat autem est omnis non homo iustus: nulli aliarū idem nec huic opposita quæ est, non est omnis non homo iustus. ea vero quæ est, omnis non iustus non homo est: illi quę est null⁹ est iustus non homo, idem significat. ¶ Transposita vero nomina & verba, idem significant. vt est albus homo, & est homo albus. Nam si hoc non est eiusdem multæ erunt negationes. sed ostensum est quoniam vna unius est. eius enim quæ est, est albus homo: negatio est, non est albus homo. eius autem quæ est. est homo albus, si nō eadem est ei quæ est, est albus homo: erit negatio, vel ea quæ

est, non est non homo albus, vel ea quæ est nō est homo albus. Sed altera quidem est negatio eius quæ est, est non homo albus: altera vero eius quæ est, est albus homo. quare erunt duę vnius. Quoniam igitur transposito nomine & verbo eadem fit affirmatio & negatio manifestum est.

De coniunctis & diuisis enunciationibus. Cap. II.

At vero vnū de pluribus, vel plura de vno affirmare vel negare: nisi sit vnū aliquid quod ex pluribus significatur nō est affirmatio vel negatio vna. Dico autem vnum: non si vnum nomen positum sit, non sit autē vnum aliquid ex illis. vt homo est fortasse & animal. & bipes & mansuetum, sed ex his vnum fit, ex albo autem & homine & ambulare, non est vnū. Quare nec si vnum aliquid de his affirmet aliquis, erit affirmatio vna. sed vox quidē vna, affirmationes vero multę. nec si de vno ista, sed similiter plures Si ergo dialectica interrogatio respōsionis est petitio, vel propositionis, vel alteri⁹ partis cōtradictionis, propositio vero contradictionis est vni⁹ pars, nō erit vna responsio ad hęc. neq; enim interrogatio vna, nec si sit vera dictū est autē de his in Topicis. simul autem manifestū est quoniam nec hoc ipsū quid est dialectica interrogatio est. oportet enim datum esse ex interrogatione eligere, vtram velit cōtradictionis partem enunciare,

sed oportet interrogantem determinare: vtrum hoc sit homo, an non hoc. ¶ Quoniam vero hæc quidem prædicãtur composita, vt vnum omne prędicatum fiat, eorũ quę extra prædicãtur. alia vero non, quæ est differẽtia? De homine enim verum est dicere & extra animal, & extra bipes, & hæc & vnum. & hominem, & album, & hæc vt vnum. sed non si citharœdus est & bonus, etiam citharœdus bonus.

Quęstio 1

¶ Si enim quoniam vtrunque verum, esse oportet simul vtrunque, multa inconuenientia erunt. De homine enim & hominem verum est dicere & albũ, quare & omne. rursus si album ipsum, & omne. quare erit homo albus, albus. & hoc in infinitum. Et rursus musicus albus ambulans, & hæc eadem frequenter implicita. Amplius. Si Socrates, Socrates est, & homo, & Socrates Socrates homo, & si homo & bipes, erit homo bipes. Quoniam igitur si quis simpliciter dicat complexiones fieri, multa accidit dicere incõuenientia manifestum est. Quemadmodũ autem ponendũ est nũc dicimus. ¶ Eorum igitur quę prædicãtur, & de quibus prædicari accidit quęcũq; secundũ accidens dicuntur, vel eodem, vel alterum de altero hæc non erunt vnum. vt homo albus est, & musicus, sed non est vnum album & musicũ. accidentia enim sunt vtraq; eidem. Nec si album, musicũ verum est dicere, tamen nõ erit album musicum unum aliquid. secundũ accidens enim album musicum. quare non erit album musicũ vnum aliqd. quocirca nec citharœd⁹ bon⁹ simpliciter, sed ani

Cõclusio 2

σκυτεὺς ponitur gręce qđ cerdonẽ & sutorẽ significat non citharœdum.

Regula 1

mal bipes. non enim ſecundum accidens. ¶ Amplius. Nec quęcunq; inſunt in altero. quare neq; albũ frequẽter, neq; homo, homo animal eſt vel bipes. inſunt enim in homine animal & bipes. ¶ Verum eſt autem dicere de aliquo & ſimpliciter vt aliquem hominem, hominem, aut aliquem album hominem, hominem album. non autem ſemper. ¶ Sed quãdo in adiecto quidem aliquid oppoſitorum ineſt, quod conſequitur contradictio, non verum ſed falſum eſt. vt hominem mortuum, hominem dicere. Quãdo autem nõ ineſt, verum. ¶ An etiam quando ineſt ſemper non verum eſt, quando vero non ineſt, non ſemper verum eſt? vt Homerus eſt aliquid. vt poeta ne ergo eſt, an non? ſecundum accidens enim prædicatur eſt. de Homero (quoniam enim eſt poeta) ſed nõ ſecundum ſe prædicatur de Homero, ipſum eſt. ¶ Quare in quibuſcunq; prædicationibus neq; contrarietas ineſt ſi diffinitiones pro nominibus dicantur, & ſecundum ſe prædicantur, & non ſecundum accidens, & in his aliquid & ſimpliciter verũ erit dicere. Quod autem nõ eſt, quoniã opinabile eſt non eſt verũ dicere eſſe aliquid. opinio enim eius eſt, non quoniã eſt, ſed quoniã non eſt.

Regula 2

Cõclu. 3

Regula 3

Quęſtio 2

Regula 4

¶ De enunciationibus modorum, poſsibilis, contingentis, impoſsibilis & neceſſarij.

Cap. III.

His vero determinatis perſpiciendum eſt quemadmodum ſeſe habent negationes & affirmationes ad ſeinuicẽ, eę ſcilicet q̃ ſunt de poſsibili eſſe & non poſsibili: & de cõtin

genti & nõ cõtingenti, & de impossbili & necessario. Habent enim aliquas dubitationes. nam si eorum quæ complectuntur, illæ sunt sibi inuicẽ oppositæ contradictiones, quæcunque secundum esse & non esse disponuntur. vt eius quæ est esse hominem negatio est non esse hominem. nõ ea quæ est esse non hominem. & eius quæ est esse album hominem: ea quę est non esse albũ hominem, sed non ea quæ est esse non album hominẽ si enim de omni aut affirmatio, aut negatio est, lignum erit verum dicere esse non album hominẽ quod si hoc modo & inquibuscũque esse nõ additur. idem faciet quod pro esse dicitur. vt eius quę est homo ambulat, non hæc, ambulat non homo negatio erit, sed hęc non ambulat homo, nihil enim differt dicere hominem ambulare, vel hominem ambulantem esse: quare si hoc modo vbique & eius quę est possibile esse, negatio erit possibile non esse, sed non ea quę est non possibile esse. Videtur autem idem posse & esse & nõ esse. omne enim quod est possibile diuidi vel ambulare, & nõ ambulare, & nõ diuidi possibile est. Ratio autem est, quoniam omne quod sic possibile est, non semper in actu est. quare inerit ipsi etiã negatio. potest igitur & nõ ambulabile quod est ambulare, & non videri quod est visibile. at vero impossibile est de eodem oppositas veras esse enunciationes. non igitur eius quæ possibile est esse. negatio est hęc possibile est non esse. ¶ Con-

Cõclu. 2

tingit enim ex his, aut idem affirmare & negare ſimul de eodem, aut non ſecundum eſſe vel non eſſe quę apponũtur, fieri affirmationes & negationes. ſi ergo illud impoſſibile eſt hoc erit magis eligendum. eſt igitur negatio eius quæ eſt poſſibile eſſe: ea quæ eſt non poſsibile eſſe, ſed non ea quę eſt poſsibile nõ eſſe. eadẽ quoq; ratio eſt, & in eo quod eſt cõtingens eſſe. etenim negatio ei⁹ eſt non contingens eſſe. & in alijs quoque ſimili modo: vt in neceſſario, & impoſſibili. Fiunt enim quemadmodũ in illis eſſe, & non eſſe appoſitiones: ſubiectę vero res hoc quidẽ albũ, illud vero homo. eodem quoque modo hoc in loco eſſe quidem & non eſſe vt ſubiectum ſit, poſſe vero & cõtingere appoſitiones determinantes (queadmodum in illis eſſe & nõ eſſe) veritatẽ & falſitatẽ. ſimiliter hæ in eo quod eſt eſſe poſſibile & eſſe nõ poſsibile, eius vero quæ eſt poſsibile eſt non eſſe: negatio eſt, non ea quæ eſt non poſsibile eſt eſſe ſed ea quæ eſt non poſsibile eſt nõ eſſe. & ei⁹ quę eſt poſsibile eſt eſſe, nõ ea quę eſt poſsibile eſt nõ eſſe, ſed ea quę eſt, nõ poſsibile eſt eſſe, quare & ſequi ſeſe inuicẽ videbũtur poſsibile eſt eſſe, & poſſibile eſt non eſſe, idem enim poſsibile eſt eſſe & nõ eſſe. non enim cõtradictiones ſunt ſibiinuicẽ huiuſmodi, poſsibile eſt eſſe, & poſsibile eſt non eſſe. ſed poſsibile eſt eſſe, & non poſsibile eſt eſſe, nunquam ſimul in eodem veræ ſunt, opponuntur enim. neque ea quæ eſt poſsibile non eſſe,

& nõ posſibile non eſſe, nunquã ſimul in eodem verę ſunt. ſimiliter autem & eius quæ eſt neceſſarium eſt eſſe: negatio non eſt ea quæ eſt neceſſarium non eſſe, ſed ea quæ eſt non neceſſarium eſt eſſe, eius vero quæ eſt neceſſarium eſt non eſſe: ea quæ eſt non neceſſarium non eſſe, & eius quæ eſt impoſſibile eſſe: nõ eſt ea quæ eſt impoſſibile nõ eſſe ſed hęc nõ impoſſibile eſſe. eius vero quę eſt impoſſibile nõ eſſe, ea quę eſt non impoſſibile nõ eſſe. Vniuerſaliter vero (quemadmodum dictum eſt) eſſe quidem & non eſſe oportet ponere quem admodum ſubiecta, negationẽ vero & affirmationem hæc facientem, ad eſſe & non eſſe apponere & has oportet putare eſſe oppoſitas dictiões. poſſibile & non poſſibile. contingens, nõ contingẽs. impoſſibile, non impoſſibile. neceſſarium, nõ neceſſarium. verum, non verum.

¶ Coſequentiæ vero ſecundum rationem fiunt cum ita ponuntur. illam enim quę eſt poſſibile eſſe, ſequitur ea quæ eſt contingit eſſe & hæc illi cõuertitur. & non impoſſibile eſſe, & non neceſſarium eſſe. illã vero quæ eſt poſſibile nõ eſſe, & contingens non eſſe: ea quæ eſt non neceſſe non eſſe & non impoſsbile non eſſe. illam autem quæ eſt eſt non poſſibile eſſe & non contingens eſſe, ea quæ eſt impoſſibile eſſe, & neceſſe non eſſe. illam vero quæ eſt non poſſibile non eſſe, & non contingens non eſſe, ea quæ eſt impoſſibile eſt non eſſe, & neceſſarium eſt eſſe. Conſideretur autem ex ſubſcriptione quemadmodum dicimus.

Prima deſcriptio conſequentium.

I	III
Poſsibile eſſe.	Non poſsibile eſſe
Contingens eſſe.	Non contingens eſſe
Non impoſſibile eſſe	Impoſſibile eſſe
Non neceſſarium eſſe	Neceſſarium non eſſe
Poſſibile non eſſe	Non poſſibile non eſſe
Contingens non eſſe	Non contingens non eſſe
Nō impoſſibile nō eſſe	Impoſsibile non eſſe
Nō neceſſariū nō eſſe	Neceſſarium eſſe
II	IIII

Hæ igitur impoſſibile, & nō impoſſibile, eā quę eſt contingens & poſsibile, & non contingens & non poſsibile ſequuntur quidem contradictoriè ſed conuerſim. Eam enim quæ eſt poſsibile eſſe, negatio impoſſibilis ſequitur. negationē vero affirmatio, nam illam non poſsibile eſſe ea quę eſt impoſsibile eē. affirmatio enim eſt impoſsibile eſſe, non impoſsibile vero negatio.

Cōclu. 3

¶Neceſſarium vero quemadmodū ſe habet conſiderandum eſt, Manifeſtum eſt enim quoniā nō eodem modo. ſed contrarie ſequūtur. cōtradictoriæ autē ſunt extra, non enim eſt negatio ei⁹ quæ eſt neceſſe non eſſe, ea quæ eſt non neceſſe eſt eſſe contingit enim veras eſſe vtraſq; in eodem. quod enim eſt neceſſariū nō eſſe, non eſt neceſſariū eſſe Cauſſa autē huius eſt, cur nō ſequitur ſimiliter cęteris, quoniā cōtrarię, impoſsibile eſſe, neceſſario redditur idē valens, nam quod impoſſibile eſt eſſe, neceſſe eſt hoc, non quidem eſſe, ſed potius nō

Cōclu. 4

esse.quod vero impossibile est nō esse: hoc necessarium est esse:quare si illa similiter sequūtur possibile & non possibile, hæc econtrario,quoniam non significāt idem necessarium & impossibile sed(quemadmodum dictum est)conuersim.

Cōclu. 5

¶At certe impossibile est sic poni contradictiones necessarij. Nam quod est necessarium esse, possibile est esse.nam si non, negatio consequetur,necesse.n.est aut affirmare,aut negare.quare si nō est possibile esse, impossibile est esse. igitur impossibile est esse: quod necesse est esse, quod est inconueniens.At vero illam quæ est possibile esse:non impossibile esse, sequitur hanc vero ea, quæ est non necessariū esse: quare cōtingit quod est necesarium esse: nō necessarium esse: quod est inconueniens.

Cōclu. 6

¶At vero neq; necessarium esse sequitur eā quæ est possibile esse:neque ea quæ est necessariū non esse.Illi enim vtraque cōtingit accidere. harū autem vtralibet vera fuerit:non erūt illa vera,simul enim possibile est esse,& non esse,Si vero necesse est esse,vel nō esse:non erit vtrūque possibile, relinquitur ergo non necessariū non esse sequi eam quæ est possibile esse.

Cōclu. 7

¶Hæc enim vera est & de necesse esse.hæc enim fit contradictio eius quę sequitur illam,quæ est non possibile esse: illā enim sequitur ea quę est īpossibile esse,& necesse & nō esse: cuius negatio est non necesse non esse.

Correlarium.

¶Sequuntur igitur & hæ contradictiones secundum prædictum modum, & nihil impossibile cōtingit sic positis.

II

Secunda deſcriptio.

I	III
Poſsibile eſse	Non poſsibile eſse
Contingens eſse	Non contingens eſse
Non impoſſibile eſse	Impoſſibile eſse
Nõ neceſſariũ nõ eſſe	Neceſsarium non eſse
Poſsibile non eſse	Non poſsibile non eſse
Contingens non eſſe	Non contingens non eſe
Non poſsibile nõ eſse	Impoſſibile non eſse
Non neceſsariũ eſse	Neceſsarium eſse
II	IIII

Dubitabit autẽ aliq̃s ſi illã quę eſt neceſsariũ eſse eã quę eſt poſibile eſse ſequitur. nã ſi nõ ſequitur: cõtradictio ſequetur, quę eſt nõ poſsibile eſse. Et ſi quis, hanc non eſse dicat contradictionem: neceſse eſt dicere poſsibile non eſse: ſed vtræq; falſæ ſunt de neceſse eſse. At vero rurſus idem videtur eſse poſsibile incidi & non incidi: & eſse & non eſse, quare erit neceſse eſse contingens non eſse, hoc autem falſum eſt. Manifeſtum eſt autem quoniam nõ omne poſsibile vel eſse, vel ambulare etiam oppoſita poſse. ſed eſt inquibus non ſit verum. & primum quidem in iis quæ non ſecundum rationem poſsunt: vt ignis calefactiuus eſt & habet vim irrationalem. quæ igitur ſecundum rationem poteſtates ſunt eædem plurium etiam contrariorum ſunt. irrationales vero non omnes ſed (quemadmodum dictum) ignem non eſt poſſibile, calefacere, & non: neque quæcunque alia ſemper agunt. alia vero poſsunt & ſecũdum irrationales poteſtates ſimul oppoſita ſuſcipere

Sed hoc huius gratia dictum est : quoniam non omnis potestas oppositorum susceptiua est, neq; quæcunque secundum eandem speciem dicuntur

Cōclu. 8

¶Quædam vero potestates æquiuocę sunt. pos sibile enim non simpliciter dicitur : sed hoc quidem.quoniam verum est quod in actu est. vt pos sibile est ambulare:quoniam ambulat iam. & om nino possibile est esse: quoniā iā est in actu quod dicitur esse possibile. illud vero quoniā erit actu vt possibile est ambulare:quoniam ambulabit.& hæc quidem in solis mobilibus est potestas : illa vero & in immobilibus. vtrunque vero verū est dicere possibile ambulare vel esse, & quod ambu lat & agit, & ambulabile est.

Cōclu. 9

¶Sic igitur possibi le,non est verum de necessario simpliciter dicere,alterum autem verum est.quare,quoniam par tem vniuersale sequitur, illud quod ex necessitate,consequetur posse esse sed non omne.

Cōclu. 10

¶Et est quidem fortasse principium quod necessarium est & quod non necessarium est omnium vel esse vel non esse,& alia quemadmodum horum consequentia considerare oportet.

Tertia descriptio.

I	III
Necessarium esse	Non necessarium esse
Non possibile nō esse	Possibile non esse
Nō cōtingens nō esse	Contingens non esse
Impossibile non esse	Non impossibile nō esse
Necessarium non esse	Non necessariū non esse

Non posſibile eſse	Poſsibile eſse
Non cõtingens eſse	Contingens eſse
Impoſsibile eſse	Non impoſsibile eſse
II	IIII

Manifeſtum eſt autem ex his quæ dicta ſunt: quoniam quod ex neceſsitate eſt, ſecundum actum eſt: quare ſi priora ſũt ſẽpiterna. & quę actu ſunt poteſtate priora ſunt. & hęc quidem ſine poteſtate actus ſunt. vt primæ ſubſtantię alia vero cum poteſtate: quę natura priora ſunt, tempore poſteriora. alia vero nunquam actus ſunt: ſed poteſtates ſolum.

¶ Quæ magis apte enunciationes contrariæ dicantur. Cap, IIII

Utrum autẽ cõtraria eſt affirmatio negationi, an affirmatio affirmationi, & oratio orationi quæ dicit quoniã oĩs homo iuſt' eſt, ei quæ eſt nullus homo iuſtus eſt. aut omnis homo iuſtus eſt ei quę eſt omnis homo iniuſtus. vt eſt Callias iuſt', nõ eſt Callias iuſtus, Callias iniuſtus eſt: quę harum contraria eſt? ¶ Nam ſi ea quę ſũt in voce, ſequũtur ea quę ſunt in anima, illic autẽ cõtraria eſt opinio cõtrarij (vt quoniã omnis homo iuſtus eſt, ei quę eſt omnis homo iniuſt' eſt) etiam in iis quæ ſunt in voce affirmationis neceſſę eſt ſimiliter ſeſe habere, quod ſi neque illic contrarij opinio cõtraria eſt, nec affirmatio affirmationi erit cõtraria, ſed ea quę dicta eſt negatio. quare cõſiderandũ eſt quę opinio falſa opinioni verę cõtraria eſt. vtrũ negationis, an certe ea quę cõtrarium opinatur. Dico autẽ hoc

Quęſtio

Cõcluſio I

modo, est quædam opinio vera boni, quoniam bonum est, alia autem quoniam non bonum est falsa, alia vero quoniam malum, similiter falsa, quę harum cōtraria verę? & si est vna, secundum quam contraria.

Cōclu. 2 — ❡Nā arbitrari cōtrarias opiniones diffiniri, eo quòd contrariorum sunt, falsum est. Boni enim quoniam bonum est, & mali quoniam malum est eadem fortasse opinio est etiam vera, siue plures siue vna sit. sunt autem ista contraria, sed nō eo ꝙ contrariorum sint, cōtraria sunt, sed magis quod cōtrariè. ❡Si ergo est boni quidē quoniā est bonum opinio, alia autem quoniam nō bonum est, est vero quoniam aliquid aliud est quod non est, neque esse potest. aliarum quidem nulla ponēda est neque quæcunque esse quod non est opinātur neque quęcūque non esse quod est, infinitè enim vtręque sunt & quę esse opinantur quod nō est, & quę nō esse quod est. ❡Sed in quibus fallacia est. hę autem sunt ex iis ex quibus sunt generationes. ex oppositis vero generationes, quare etiam fallaciæ. ❡Si ergo quod bonum est, & bonum & non malum est, & hoc quidē secundū esse, illud vero secundum accidens (accidit enim ei non malū esse) magis autem in vnoquoque vera est quę secundū se est, etiam falsa, siquidem & vera, ergo ea q̄ est, quoniam non est bonū quod bonum est, eius quę secundū se est, falsa est, illa vero quę est quoniam malum est, eius quę secundum accidēs. quare magis erit falsa de bono, ea quę est negationis opinio quam ea quæ est contrarij. Falsus autē est

Ista contraria. Opiniones contrariæ. Cōclu. 3 Sed magis ꝙ cōtrariè, cōtrarie aduerbium

maxime qui circa ſingula habet contrariam opinionem, contraria enim eſt eorum quæ plurimũ circa idem differunt. ſi igitur harum cõtraria eſt altera, magis vero negationis eſt contraria, manifeſtum eſt quoniam hęc erit contraria. ¶ Illa vero quæ eſt quoniam malum eſt quod bonum eſt: implicita eſt. Etenim quoniam non bonum eſt, neceſſe eſt forte ipſum eundẽ opinari. ¶ Amplius. Si etiam in aliis ſimiliter oportet ſe habere, & hoc modo videbitur bene eſse dictum. Aut enim vbique ea quæ eſt contradictionis, aut nuſquam quibus vero non ſunt contraria, de illis quidẽ falſa, ea quæ eſt verę oppoſita, vt qui hominem non putat eſse hominem, falſus eſt. Si igitur hę contrariæ ſunt, etiam & alię, quę ſunt cõtradictionis ¶ Amplius. Similiter ſe habet opinio boni quoniam bonum eſt, & non boni quoniam non bonum eſt, & præter has boni quoniam non bonũ eſt: & non boni quoniam bonum eſt. illi ergo quæ non boni quoniam non bonum verę opinioni, quæ eſt contraria. Non enim ea quæ dicit quoniam malum eſt, ſimul enim aliquando erit vera. nunquam autem vera verę contraria eſt. eſt enim quoddam non bonum malum. quare contingit ſimul eſse veras. At vero nec illa quę eſt quoniam non malum. vera enim & hęc, ſimul enim & hæc erunt. relinquitur igitur ei quæ eſt non boni quoniã bonũ eſt, cõtraria ea q̃ eſt nõ boni quoniã bonum eſt. falſa enim hęc. quare & ea quę eſt boni quoniã non bonũ eſt, ei quę eſtb oni quoniã bonũ eſt. ¶ Manifeſtũ ergo eſt quoniam

nihil intereſt, nec ſi vniuerſaliter ponamus affirmationẽ: vniuerſalis enim negatio cõtraria erit: vt opinioni quę opinatur: quoniã omne quod eſt bonum: bonum eſt, ea quæ eſt quoniam nihil eorum quę bona ſunt, bonum eſt: nam ea quæ eſt boni quoniam bonum, ſi vniuerſaliter ſit bonum: eadem eſt ei quæ opinatur, quoniam quicquid bonum eſt, quod bonum eſt. hoc autem nihil differt ab eo quod eſt: quoniam omne quod eſt bonum, bonũ eſt. ſimiliter autem & in non bono. Quare ſi in opinione ſic ſe habet. & ſunt hæ quę ſunt in voce affirmationes & negationes, notæ earũ quæ ſunt in anima: manifeſtum eſt quoniam affirmationi contraria quidem negatio eſt, quæ de eodẽ vniuerſaliter: vt ei quæ eſt quoniam omne bonũ bonum eſt, vel quoniam omnis homo bonus: ea quæ eſt quoniam nullum vel nullus. cõtradictoriæ autem quæ eſt quoniam non omne, aut non omnis.

¶Manifeſtum eſt autem quoniam & veram verę non contingit eſſe contrariam, neque opinionem, neque contradictionem. contrariæ autẽ circa idem oppoſita ſunt, Circa eadem autem contingit verũ dicere eundem: ſimul autem non contingit eidem ineſſe contraria.

¶Secundi libri Peri hermenias Ariſtotelis

FINIS.